



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 4. Mores Tuscorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

plicitum. Igitur eiici cœperunt ex Circumpadanâ regione à Gallis anno urbis conditæ 154 Olymp. 45. regnante Tarquinio Prisco: haud tamen omnino expulsi fuerunt; nam Olym. 64. an. 3. cum Vmbris iuncti expeditionem in Cumanos susceperunt, quæ eis pessimè cessit, operâ Hieronis Siculi; ex quo res eorum in peius ruerunt, vt ex Diodoro, & Scholiaste Pindari discimus; ideóque à Syracusis etiam vexati sunt, vt tradit Diodorus lib. 11. Ac demum Circumpadanam regionem amiserunt; paulò post annum urbis C. 369. Tunc autem eorum aliqui in Alpes ascendere Rhæto duce, ex quo pars illa Tuscorum in Rhætorum nomen transit; reliqui ad eos transferunt qui in Hetruriâ consistebant, vbi cum Romanis depugnantes ab iisdem sensim subacti sunt.

Diuidebantur autem in 12. populos, δώδεκα ἡγεμονίας Dionys. lib. 6. vocat, qui à 12. urbibus sic dicti sunt. *Cere, Tarquinij, Rusellæ, Vetulonij, Volaterræ, Arretium, Cortona, Perugia, Clusium, Volsinij, Falerij, Veij*, de quibus mox in Geographicâ descriptione. Seruius in 10. Æneidos, ait singulis his populis singulos Lucumones præfuisse, sed vnum etiam duodecim illis imperasse. Hi Principes, seu Reges ferebant coronam auream cum sceptro cuius in summo Aquila, purpuream tunicam auro textam; eosque anteibant 12. lictores; sedebant autem in sellâ eburneâ, vt ait Dionys. Halic. lib. 3.

N V M. 4. *Mores Tuscorum.*

MOLLISSIMOS fuisse Tuscos ait Strabo, ideóque à Gallis pulso esse credunt *Diodorus*, & *Athenæus*. De mulierum Etruscarum mollitie, & puerorum inuerecundiâ legatur idem *Athenæus* lib. 12.

Supra reliquas gentes Auguriis dediti fuere; quare deinceps ad eos Romani misere liberos suos vt Aruspicinam ediscerent.

Bis de die conuiuia celebrabant, in vasis argenteis; stragulis domorum parietes velabant quæ floribus distinguebant; & feruos lautissimè vestitos alebant. Excogitauere tubam, quæ ab iis Tyrrhenica nuncupata est.

Literis additiores fuere, & in artibus omnibus solertes atque ingeniosi, ob commercium cum Græcis ex quibus ortierant: hæc *Strabo*, atque *Diodorus*.

Hic Scenici optimi, quam ob causam sæpe Romam euocabantur; quare & Histrio ab iis nomen accepit, nam eorum linguâ